



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1778**

**VD18 90118871**

§. 100. Mantua a Cæsareis astu intercepta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Sæc. XVII. hilominus totam ditionem unacum Ele-  
A. C. 1630. storatu sibi integre restitui petiit: unde  
 hæc tractatio effectu caruit: Actum  
 postea de Batavis ex Imperio arce-  
 dis, necnon de pace cum Gallis Italia  
 reddenda: demum vero dissoluto con-  
 ventu Cæsar Ratisbona Viennam re-  
 versus est.

## §. C.

*Mantua a Cæsareis astu intercepta*

Ceterum cum Ratisbonæ Catholici  
 pacis consilia exequi, & Prote-  
 stantes pacis beneficio arma parare sa-  
 tagerent, in Italia bellum pertinaci par-  
 tium contentione continuatum est; post-  
 quam enim Nivernius Dux Gallorum  
 potentia fretus, condiciones a Cæsare  
 propositas rejecisset, & Richelius Car-  
 dinalis adeo duras obtulisset leges, ut  
 non pacem, sed bellum, quo Cæsaris  
 vires infringere, & Sueciæ Regem in  
 Germaniam pellicere valeret, exoptare  
 videretur, hinc in irritum ceciderunt  
 cuncta molimina, quibus summi Pon-  
 tificis jussu Joannes Pancirolus Papa  
 Nuntius saltem belli inducias impetrare  
 nitebatur. Quamprimum igitur Sab-  
 audixæ Dux in Hispanorum partes tran-  
 siverat, mox Richelius Pignarolum vi-  
 cinasque urbes occupavit. Rursum  
 Ma-

*Nani Hist.*  
*Venet. l. 8.*  
*Ferrer. Con-*  
*tin. cap. 1.*  
*tom. 12.*

Marchio Spinola, & Barberinus Papæ Sæc. XVII.  
 Legatus Richelio pacis conditiones op- A. C. 1630.

ponere nitebantur, irrito tamen suc-  
 cessu; postquam enim ipsemet Ludo-  
 vicus XIII. Galliarum Rex cum valido  
 exercitu in Italiam penetrans, Cam-  
 brium, totamque Sabaudiam suis armis  
 subjecerat, non jam de pace, sed mu-  
 tua cæde ac ruina actum, Hispanis  
 Casalim, Cæsareis vero Mantuam toto  
 belli apparatu infestantibus. Accur-  
 rerant in Nivernii, Gallorumque opem  
 Veneti, qui tamen bina clade fracti,  
 Veronam usque profugere coacti sunt.  
 Pari fortunæ invidia Nivernensis Ducis  
 copias Cæsareus miles repulerat. Ma-  
 gis prospero Marte pugnabat Franciæ  
 Rex adversus Hispanos & Sabaudos,  
 quibus fuis fugatisque, nil propius  
 erat, quam ut Carolus Sabaudix Dux,  
 ejusque Filius Victor Amadæus noctu  
 a Richelii Cardinalis copiis capti ab-  
 straherentur: Nihilominus rapidum  
 Gallicæ victoriæ cursum interceperat  
 inopina Mantuanæ urbis expugnatio;  
 interceptis enim Nivernii literis, qui-  
 bus in præsidii supplementum quatuor  
 Venetorum millia submitti petierat,  
 Mathias Galassius Comes Cæsareus Bel-  
 lidux hac notitia utendum ratus, sub  
 crepusculo matutino cum quatuor suo-  
 rum millibus simulata aggressione in-  
 pro-

Sæc. XVII. propria castra impetum fecit, quibus  
A. C. 1630. facile, utpote ex condicto perruptis,  
 suas cohortes tanquam a Venetis sub-  
 missas obscuro tum die ad urbis portas  
 admovit, delusisque præfidiariis intro-  
 missus miles urbem levi suorum dispen-  
 dio in Cæsaris potestatem redegit.  
 vita nemini, qui resistere auderet, do-  
 nata: ipse etiam Nivernius Dux una-  
 cum Filio, suisque Nepotibus ac Pro-  
 cerum non paucis in Portuensem ar-  
 cem profugus, in Ferrariensem Pontifi-  
 cis ditionem secedere compulsus est,  
 ea lege inde dimissus, ne ad Francos,  
 Venetosque sese reciperet.

## §. CI.

*Pax Mantuana inter Cæsareos & Gallos.*

*Khevenhil.*  
*Annal. Ferd.*  
*t. II. p. 1190.*  
*Annal. Boic.*  
*part. 2. l. 15.*  
*Piasec.*  
*pag. 495.*

Hujus Urbis jactura, adversaque Do-  
 cis Nivernii fortuna Gallos ad pa-  
 cis consilia proniores reddebat: Addi-  
 dit quoque calcar ipsemet summus  
 Pontifex, qui misso Julio Mazarino,  
 quem Richelius Cardinalis maximi ha-  
 buit, saltem inducias pangi petiit, ob-  
 tinuitque. Interim vero Ratisbonæ in-  
 comitiis Electores, atque inter eos  
 præcipue Maximilianus Bavarix Se-  
 ptemvir toti in eo erant, ut Cæsarem  
 ad pacem Italiæ reddendam inclina-  
 rent.